



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliæ Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646

XXXIII.

Vrbanus Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis apostolatus officio, quod meritò nos constituit omnibus debitores, circa emergentia undique negotia necessariò invigilamus, & ubi præsentiam nostram exhibere non possumus, ibi per illos quos nonnunquam de latere nostro sumimus, curamus exsolvare debitum apostolicæ servitutis. Intellecto igitur quòd hostis humani generis, pacis æmulus, & zizaniæ seminator, gravem dissentionem in regno Angliæ suscitarat, ex qua ipsius regni fidelibus gravia corporum & animarum dispendia imminere noscuntur, nos felicem ejusdem regni statum plenis desideriis affectantes, te, quem Dominus erudit sapientia & virtutibus insignivit, ad partes illas pro sedanda dissentione hujusmodi, tanquam pacis angelum, commisso tibi plenæ legationis officio, destinamus. Propterea cupientes ut hujusmodi negotiorum felicem consequatur effectum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si rebellionem venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum & aliorum Prælatorum Ecclesiarum, ac Nobilium virorum, Comitum, Baronum, & aliorum regni ejusdem requirere videris, contra illos qui tibi vel carissimo in Christo filio nostro Regi Angliæ illustri rebelles fuerint, per te vel alios regulares & seculares, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, prædices verbum crucis, & eam voluntibus recipere largiaris; concessa illis qui in propriis laboribus & expensis in subsidium dicti Regis & in favorem prædicti negotij, & eis qui in propriis

I iiij

personis, sed in alienis expensis, ac illis qui in expensis suis mittent idoneos bellatores contra rebelles hujusmodi, illa suorum venia delictorum, de quibus veraciter corde contriti & ore confessi fuerint, quæ terræ sanctæ succurrentibus in generali Concilio est concessa. Ceterum commitandi omnia vota, & si urgenti necessitati negotij videris expedire, etiam Ierosolymitanum, in hujusmodi subsidium, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbeim-veterem v. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

X X X I V.

VRbanus Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Pro sedanda discordiaquam pacis æmulus & zizaniæ prosecutor inter carissimum in Christo filium nostrum Regem & carissimam in Christo filiam nostram Reginam Angliae illustres ac natos ipsorum ex parte una, & nonnullos Barones, Nobiles, ac alios regni Angliae, ex altera, seminavit, & pro quibusdam aliis arduis & urgentibus negotiis commisso tibi tam in eodem regno quam in Valliæ ac Hiberniæ partibus plenæ legationis officio, de fratribus nostrorum consilio te duximus destinandum, quamplurima tibi nihilominus per speciales literas concedendo. Volentes igitur ut præmissi officij executio tibi sit libera, & submotis difficultatibus ac impedimentis quibuslibet expedita, tenore præsentium declaramus quod nostra intentionis & voluntatis existit quod per predicta quæ tibi specialiter sunt concessa, iis quæ tibi ratione legationis competunt, in nullo penitus derogetur; sed volumus quod hoc non obstante, illa plehariè ac liberè nihilominus exequaris. Datum apud